



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

7. Junii. Vt omnes lucrifaciat sapiens hominum piscator, omnibus attemperare se debet, licèt minor conatui fructus respondeat. S. Ignat. in vita l. 5. c. 11.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)



**P** Ar pari reddere, lex est justitiæ; qui  
minùs, quàm debeat, dedit, legem  
non implevit. Heu me! in quanto debito-  
res sumus, & quàm segnes in exolvendo.

Unius peccati malitiæ vita, imò æterni-  
tas non sufficit expianda, & ubi injuria  
compensatio? ubi pro remissa culpa grati-  
tudo? ubi pro pœna satisfactio? Non in-  
tres in judicium cum servo tuo Deus.

Dignissimum est, ut quæ fuerunt media  
ad iniquitatem, fiant ad sanitatem instru-  
menta, & membra, quæ vitiis serviverunt,  
virtutis exercitio addicantur.

Corpus magis reum fit, an anima, fru-  
stra disceptas, par utrumque culpa com-  
plectitur, eadem manet pœna, nisi par  
utramque expiet pœnitentia.

## 7. Junii.

*Ut omnes lucrifaciat sapiens hominum pro-  
scator, omnibus attemperare se debet, licet  
cèt minor conatui fructus respondeat.* S.  
Ignat. in vita l. 5. c. 11.

**I** N magnis etiam voluisse, laudem mere-  
tur, licet infra intentionem sit successus.  
Ex conatu, non ex eventu meritum nobis



expectandum. Ille quippe solus in nostra,  
hic in unius Dei, est potestate.

Illam Dei erga nos liberalitas est, ut inopia  
nostræ conscius nihil à nobis exigat,  
præter bonam voluntatem, reliqua in se  
assumit. Unde, qui fecit, quod potuit, læ-  
gem implevit.

Etiã in rebus opinione nostrâ opti-  
mis, si spes, & labores nostri cadant irriti,  
credere debemus, esse melius aliquid, quod  
licet nobis incognitum sit, satis est esse illi  
in aperto, cui nihil absconditum.

Si tua intentio affectu careat, subtrahi-  
tur tibi non occasio meriti, sed vanitatis,  
hujus loco materia tibi offertur patientiæ,  
aperitur campus adorandi judicium Dei.  
Vide, quanta bona in bono non obtento!  
Fac quod potes. Deus supplebit ea, quæ  
non potes.

### 8. Junii.

*Ubi secundo cursu fluunt omnia, suspicio sit,  
an non illic parum felix sit Divini obse-  
quii cursus? S. Ignat. ibid.*

**N**imia maris tranquillitas naviganti-  
bus solet esse suspecta; diuturna  
quippe malacia graviorum prodroma est  
tem-